

profano proferri exemplum, ubi corpus sit positum pro signo corporis, & sanguis pro signo sanguinis. Quæ igitur audacia est, præter scripturam, & contra scripturam, sine ullo fundamento, absq; omni auctoritate, confingere Novum tropum toti mundo in & extra Ecclesiam ignotum, ad convellendam verborum Christi, quibus sacram suam cœnam instituit, proprietatem & veritatem?

73. Objicis: Corporis & sanguinis vocabulum accipi non tantum pro signo, verum etiam pro sigillo & pignore, imò etiam pro medio offerente & exhibente corporis & sanguinis Christi. Annon igitur hanc metonymiæ expositionem acceptabis?

74. Non accepto, inquam. Metonymiæ enim definitio non patitur, multoq; minus verborum Christi veritas & constantia. Memineris igitur aliud esse, definire symbolorum officium Sacramentale: aliud explicare veram sententiam verborum cœnæ. Nunquam & nuspiã vox corporis & sanguinis ponitur per metonymiam pro signo sive Organo sive medio sive sigillo corporis & sanguinis. Valeat igitur longum metonymia illa sacramentaria. Et officium ob-signandi divinam gratiam non est solorum symbolorum externorum Sacramentalis sed integri sacramenti. Vide disput. 1. thes. 193.

75. Hactenus demonstravimus nullam vocem in propositione Christi, Edite, hoc est corpus meum Bibite, hoc est sanguis meus: tropo esse modificatam. Id quod nonnulli non ultimi inter Calvinianos nominis fatentur. Supersunt examinandæ duæ opiniones. Prior est, totam propositionem esse tropicam. Posterior: Propositionem non esse quidem tropicam, sed esse logicam impropriam.

76. Metonymiam sacramentalem in tota prædicatione refellimus hoc syllogismo. Quæcumq; Metonymia. 1. pugnat cum ipsa natura. 2. & confundit principia & fundamenta artium. 3. & nullum habet apud probatos autores exemplum. 4. secumq; ipsa conflictatur. 5. & imprimis adversatur ipsi institutioni sacramenti: ea approbari nulla ratione debet aut potest. Talis est metonymia